Leibn.
Marg.
107

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 107

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 107

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

J

D

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

JOH. GEORGII WACHTERI,
Phil. Prof.

ORIGINES JURIS NATURALIS,

Sive

De JURE NATURAE HUMANAE

Demonstrationes Mathematicæ.



BEROLINI,
Typis & Impensis JOH. WESSELII, 1704.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS BORUSSIAE
SUMMIS RERUM ADMINISTRIS,
ILLUSTRISSIMIS ATQUE EXCELLENTISSIMIS
S. R. IMPERII COMITIBUS
ET ORDINIS AQUILINI EQUITIBUS
AURATIS,

DOMINO

JOHANNI CASIMIRO,

COMITI
A
WARTENBERG,

MINISTRO REGIS SECRETISSIMO AC
EMINENTISSIMO,
MAXIMO CAMERARIO,
MAXIMO STABULI ET VENATIONUM
MAGISTRO,
HÆREDITARIO CURSORUM TRIBUNO,
ET RELIQUA.

NEC

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

NEC NON

DOMINO

ALEXANDRO HERMANNO,

COMITI A WARTENSLEBEN,

EJUSD. POTENTISS. REGIS
ARCHISTRATEGO ET PRÆFECTO MILITIÆ
GENERALISSIMO,

UT ET

DOMINO

AUGUSTO,

COMITI A SAIN ET WITGENSTEIN,

EJUSD. POTENTISS. REGIS
SUPREMO AULÆ MARESCALLO ET RERUM
OECONOMICARUM DIRECTORI,

DOMINIS SUIS BENIGNISSIMIS.

Hanc de JURE NATURÆ tractationem Jure meritoque
consecrat

Joh. Georgius Wachter/ Memmingâ-Suevus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

COMITES,
DOMINI BENIGNISSIMI.

Silent Leges inter arma. At silentibus armis Leges commodè loquuntur. Vivimus per DEI *gratiam sub* REGE INCRUENTO, *cujus purpura nullo civium Sanguine tincta est. Coronam sibi imposuit in Pace, in Pace illam tuetur. Illud verò penè prodigium est, quòd inter Pacis fructus Trophæa numerantur. In togâ triumphos agimus de Hoste non viso & tamen fuso. Victorias, quas non vidimus, cum Anglis & Batavis ex æquo dividimus. Populos longè disjitos liberamus à Tyrannide. Et invasores uno prælio occidimus, ne toties interirent. Scilicet longæ sunt* REGUM *manus, &*

ultrà

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

ultrà digitos protenſæ. In pluribus locis ſimul exiſtunt & operantur. Totus in Aulâ REX eſt, totus in Caſtris. Res ſuas intra ſe videt, extra ſe facit ubique. Et nunc etiam Berolini exiſtens, magno miraculo Sueviae ſuae Liberator eſt. Fugati ſunt hoſtes jam fugantes, & dejecti ſunt tertiá pugnâ, qui in primâ & ſecundâ dejiciebant. Tot Legiones, auro fulgentes, ferro proſtratae ſunt, tot ferrum ſponte depoſuerunt, ne proſternerentur, ut videri poterant totam Sueviam Bavari occupâſſe mortui, & Galli captivi. Jamque pudet irritam Ambitionem audaciae ſuae, & invita cogitur fateri, Suevos non habere Regem, niſi Imperatorem, pugnandumque ſemper eſſe pro Suevia, non de Suevia. Hoc ILLVSTRISSIMI COMITES multorum Heroum prodigium, ſed unius Monar-

chia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

chiae beneficium est. Debet Suevia salutem suam multis membris, sed uni IMPERATORI, Romano, uni REGI, Borusfico, uni REGINAE, Britannicæ, uni REIPVBLICAE, Fœderato-Belgicæ. Et hi quatuor una Monarchia sunt. Videtis ergò, quàm silere non possim, postquàm REX CLEMENTISSIMVS tot Beneficiis, publicis & privatis ad me hominem Suevum locutus est. Licet ergà REGEM, quod licet erga DEVM, beneficiorum adoratio. Sed non licet coram adorare semper & cuivis Regiam Majestatem. Idcirco ad Vos, ILLVSTRISSIMI COMITES, convertor, & REGEM in Vobis compello. Vos enim quasi Stellæ estis, quae circa Solem de novo deprehensae, Comites & Ministrae Solis vocantur. Illae Lucem Solis è propinqué

pinquo hauriunt, non ſibi, ſed orbi: Radios excipiunt, non retinent: Per illas Solem videmus, & illas in Sole: Utrum ſeparatae an conjunctae ſint, dubium eſt: Dum videntur ſeparatae, videntur conjunctae: Feliciores, quò magis ſe cum ſuo Sole confundunt. Tales Vos eſtis, BENIGNISSIMI DOMINI, *eòque benigniores, quo fonti benignitatis propiores eſtis. Accipite ergò hanc pro* REGE *gratiarum actionem devotiſſimam & humillimam. Agnoſcite bonum Gentis affectum,* REGIque *haec dicite* VESTRO, *aut nullum ſibi Suevos optare* SYDUS REGIUM, *aut certè illum* SOLEM, *quem vos comitatis. Valete, & Libellum hunc tanquam publicae gratitudinis ſignum benignè accipite. Exarabam Berolini, d.* 13. *Sept. Anno* 1704.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

PROLOGUS
ad
LECTOREM.
BENEVOLE LECTOR.

DUm explicare nitor, quid de JURE NATURAE ſentiam, non puto à te exſpectari, ut libellum conficiam de ſtillicidiorum ac de parietum Jure, aut ut ſtipulationum & judiciorum formulas componam, quæ & conſcripta ſunt à multis diligenter, & ſunt humiliora, quàm illa, quæ aggredimur. Hoc potius exſpectabis, ut ipſas Legum & Juris civilis fontes patefaciam. Eſt autem Jus naturæ res pariter notiſſima & obſcuriſſima. Quid enim homini notius aut ignotius, quam ipſe ſibi, & jus ſuum? Omnes à naturâ commoda noſtra defendimus, idque nos arbitramur ſummo naturæ jure agere, eodem ſcilicet jure, quo nati & in lucem editi ſumus. At quibus de cauſis hoc vel illud juris ſit, aut unde cætera juris & officii noſtri capita inveſtigari debeant, plerumque ignoramus. Sicque eadem noſtri juris, quæ Nili obſcuritas eſt. Patent flumi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [15] - -
PUBLIC DOMAIN

na Nili, ſed origines latent. Neque inter Scrutatores Juris magis, quàm inter Scrutatores Nili convenit. Jus in aperto eſt, derivatio in occulto eſt.

Inveſtiganti mihi cauſas hujus obſcuritatis, occurrebat præprimis Methodi ignoratio. Non convenit de Methodo inveniendi *juſtum*, quia non convenit de Methodo inveniendi *verum*. Alius hûc, alios illûc opinando prolabitur, & dum attingere veritatem per ſe non poteſt, conatur illam attingere per hypotheſin, & adornare ſimulacrum rationis, quâ veritas & Iuſtitia utcunque repræſententur. Verum quam fallax ſit fueritque nunc & olim plurimorum in hoc genere conatus, non opus eſt hîc oſtendere. Glorioſius eſt, ipſum docere juſtum & verum, quod difficile & non ita obvium eſt, quàm convincere falſum & injuſtum, quod facile & in promptu eſt. Veritas ipſa & Iuſtitia, ubi ſemel aſſertæ ſunt, falſum & injuſtum indicant, ſuppeditantque reſponſiones ad ea, quæ obeſſe volunt, & non valent.

Itaque non jubeo hîc quenquam exſpectare longas antecedentium Scriptorum refutationes. Turpis eſt ille Liber, qui nihil ædificat, omnia deſtruit, aut magis deſtruit, quam ædificat, aut prius. Hoc potius agat Libellus meus, ut magis ſenſus meos quam diſſenſus alienos Lectoribus exponat. Novi naturam & actuoſitatem Intellectûs, qui expleri non evacuari cupit, quique plus

ſemper

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

ſemper demonſtrationes, quàm annihilationes amat. Idcircò communem ſcribendi modum repudiavi, & mathematicum elegi, ut poſſim certâ ratione inveſtigare verum, & intellectum legentis cogere ad aſſenſum, non cohibere.

Oſtendi autem, non quâ viâ ad inveniendum *juſtum* eundem ſit, ſed quâ iverum. Eâ tamen methodo uſus ſum, quâ ſolet in Philoſophiâ inveſtigari *verum*, initium faciendo à DIVINITATE, & ex illâ reliqua deducendo. Cujusmodi Methodus ſine dubio optima, naturalis, & unica eſt. Gignit enim ſcientiam optimam & perfectiſſimam, quæ eſt effectuum per cauſas, dum ex ipſo Deo, in quo omnes theſauri ſcientiarum & Sapientiæ ſunt abſconditi, cæterarum rerum veritates depromit. Deinde res eo ordine cognoſcit, quo ſunt, primo Deum, & deinceps reliqua, quorum ipſe cauſa eſt, ſicque dum eundem in cognoſcendo ordinem ſervat, quem res habent in exiſtendo, non ſolùm optima, ſed etiam maximè naturalis dici debet, non obſtante, quòd à multis repudiatur.

Interim Apologiâ & prolixâ demonſtratione pro hâc Methodo defungi, officii mei nunc non erat, qui hoc loco Jurisprudentiam Naturalem, non philoſophiam primam traditurus eram. Ob eandem cauſam nullâ ratione tenebar, ea omnia ab initio repetere, quæcunque beneficio hujus methodi circa naturam Dei & Hominis in ſerie &

ordine olim inveneram. Sufficiebat ex istis omnibus pauca quædam decerpere. Imò sufficiebat, ea quæ instituto meo servire poterant, nudè tectisque rationibus *postulare*. Ipsas verò Postulatorum reddere rationes, non hujus, sed alterius loci erat. Itaque liberè & absque ullâ demonstratione postulo quædam mihi concedi, tanquam extra dubium posita, idque summo jure. Nam & Geometræ non solent omnia docere, sed postulare, ut quædam sibi concedantur, quo facilius, quæ velint, explicent. Factâ semel concessione securè pergo ad reliqua, tantumque ex concessis elicio, quantum possum.

Vereor autem, ne illi, qui nostræ Principia Philosophiæ aut contemnunt, aut non assequuntur, & præterea mathematicis demonstrationibus assueti non sunt, mentem meam non sint percepturi. Et his ego de me fateor, me de Jure Naturæ sententiam fovere haud neotericam, sed antiquissimam, & penè similem illi, quam Marcus apud Ciceronem de Legibus applaudente Quinto & Attico fusè prosequitur, nisi quod aliâ viâ & alio ordine unum ex altero colligam. Placent autem ex Marcianâ Dissertatione sequentia.

Dei naturâ, ratione, potentiâ, voluntate, mente, numine, naturam omnem regi, præcipuè vero humanam.

Humanam naturam esse mentis divinæ participem, adeoque inter Deum & Hominem esse aliquam Rationis

&

& Virtutis communionem, & in his, virtute & rätione, naturam perfectam consistere.

Non opinione, sed naturâ constitutum esse Ius: Omnes ad Iustitiam natos esse: Mentem tamen esse imbecillam, & à rectitudine naturali facilè deflecti posse in contrarium, vanâ opinione, & pravâ consuetudine: Et ab his similibusque corruptelis igniculos à naturâ datos exstingui, & vitia contraria exoriri & confirmari.

Quod si homines eo modo, quô naturâ, sic judicio, humani nihil (ut poeta ait) à se alienum putarent, omnes jus æque colerent, experirenturque se ad participandum & communicandum inter se mutuo justos à naturâ factos esse.

Unam esse hominis Definitionem & naturam, & hanc esse in omnibus & singulis æqualem: neminemque sui tam similem esse, quam omnes omnium futuri essent, si naturam suam potius, quam consuetudinum depravationem & opinionum vanitatem sequi mallent.

In explicatione Juris naturam ejus à naturâ hominis & Dei repetendam esse.

Jus proficisci â Lege, adeoque â Lege ducendum esse Juris exordium.

Legem esse summam Dei Rationem, seu ipsam Dei imperandi prohibendique Sapientiam: Hanc Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod populorum esse, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret: Adeoque principem illam Legem & ultimam, mentem esse omnia cogentis & vetantis Dei.

Ex hâc Lege illam alteram, quæ humano generi data est, recte laudari: Nam Dei prudentiam insitam esse in naturâ, & hanc ipsam esse naturæ humanæ vim & potentiam, mentem, rationem, legem, juris & injuriæ regulam.

Dici ergò non posse, Legem naturæ tum denique cœpisse esse Legem, quando a Sapiente scripta est. Semper enim fuisse legem hanc, & illam non solius Sapientis, sed summi Iovis voluntatem esse, quæ seculis omnibus ante nata sit, quam scripta Lex ulla, aut omninò civitas constituta sit.

Non aliam esse hanc legem Romæ, aliam Athenis, aliam nunc, aliam posthâc, sed apud omnes gentes & omni tempore unam esse & sempiternam: Et huic Legi nihil abrogari, nihil derogari posse.

Neque verò aut per Senatum aut per populum solvi hâc Lege quenquam posse: Eum verò, qui parére recusat, ipsum se fugere, & naturam hominis aspernari.

Deni-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

Denique nullo in genere Disputationis magis honesta patefieri, quid sit homini a naturâ tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique causâ nati & in Lucem editi simus, quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis Societas inter ipsos, quam ex hâc Disputatione de Iure naturæ.

Plura alia ibi extant, interlocutore Marco prolata, quæ cum nostris planè conveniunt, cujusmodi sunt: „ Quòd potiùs ignoratio juris litigiosa sit, quàm scientia: „ Quòd virtus & utilitas à naturâ separari nequeant: Quòd „ justus non sit, sed callidus, qui non naturâ sed vel pœnâ „ vel utilitate ab injuriâ arcetur, aut ad officium movetur: „ Quòd Civitas sit populus honestus, & multitudo hominum „ coelesti descriptioni, mentique divinæ, & præpotenti Deo „ parentium: Quòd bonus civis nihilo sese plus quam alterum diligat: Quòd Lex sit res bona & salutaris, ad illam „ antiquissimam & rerum omnium principem naturam & Legem expressa. Quod Leges injustæ non magis dici Leges „ possint, quàm pharmaca mortifera dici possunt medicamenta, si quæ insciì imperitique pro salutaribus conscripserunt: „ Quod plebiscita, decreta principum, sententiæ judicum „ non constituant jus, sed natura: Quod si jus non naturâ „ sed beneplacitis populorum constitueretur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc „ suffragiis aut scitis stultæ alicujus multitudinis probarentur.

Verùm hæc & talia dulcius ex ipso Cicerone bibuntur. Idcircò finem præfandi facio, Lectoremque ad reli-

reliqua admitto, eâ tamen lege, ut ſequentia Typothetarum errata benevolè corrigere dignetur.

P. 10. Lin. 11. pro *naurali* legat *naturali.*

P. 14. Lin. 18. legat, *adeò ut his conceptibus imaginatio aut opinio nihil admiſceat.*

Ibid. Lin. penult. pro *Et igitur* legat *Eſt igitur.*

Ibid. Lin. ult. pro *ex rationes* legat *ex ratione.*

P. 28. lin. 8. pro *officere* legat *efficere.*

P. 36. Lin. 18. pro *unius hominis* legat *unius hominis.*

P. 39. Lin. 8. pro *natutæ* legat *naturæ.*

POSTU-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

POSTULATA.

I. *Rerum naturalium Potentia, quâ existunt & operantur, est Potentia Dei.*

II. *Potentia Dei est causa absolutè libera, independens, & sui juris: Adeoquè Jus Dei in omnia est ipsa potentia ejus infinita, quatenus ut absolutè libera consideratur.*

III. *Ex Potentia Dei infinitâ infinita infinitis modis sequuntur, adeoquè per Potentiam DEI nihil existere potest, ex cujus naturâ se solâ non aliquis effectus sequatur.*

IV. *Justitia DEI est ipsa ejus Potentia, quatenus suum cuiquè tribuit, hoc est, quatenus suam cuivis rei essentiam & existentiam tribuere concipitur.*

V. *Mens humana tùm demùm* ex potentiâ suâ *aliquid agit, quando ex naturâ ejus, vel in ipsâ vel extra ipsam aliquid sequitur, quod per illam*

solam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [23] - -
PUBLIC DOMAIN

ſolam adæquatè poteſt intelligi: Dicitur autem operari ex impotentiâ *ſive pati, quoties in naturâ ejus aliquid fit, aut ex illâ ſequitur, cujus ipſa Mens non niſi partialis cauſa eſt, quodqué per ſolas naturæ ejus leges intelligi nequit, ſed neceſſariò intelligitur per cauſas externas.*

VI. Virtus eſt potentia Mentis ex ſolo ductu Rationis vivendi.

VII. Affectus ſunt Paſſiones Mentis, à cauſis externis menti ingeneratæ, quâ Mens ad aliquid agendum aut cogitandum determinatur non ex Lege Naturæ ſuæ, ſed ex Lege Paſſionis.

VIII. Quatenus Homines ex ductu rationis *vivunt, eàtenus ſemper & neceſſariò conveniunt, ſequè invicem juvant, adeò ut nihil homini ſit utilius, niſi homo, qui ex ductu Rationis vivit: Quatenus verò* cum affectibus *conflictantur, eatenus ſemper & neceſſariò ſunt diverſi, ſibiqué invicem contrarii & noxii.*

IX. Homines ſolâ naturâ ſuâ duce conantur in eâ naturâ, in quâ orti ſunt, perſeverare tempore indefinito, ſe corpusquè ſuum conſervare ac tueri,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [24] - 2
PUBLIC DOMAIN

tueri, prospicere sibi de potu, victu, amictu, securitate, & similibus: Eâdem naturâ duce conantur semper transire ad majorem perfectionem, & habere secundùm naturam suam vel omnia, vel plurima, vel maxima. Et hic eorum conatus ab essentiâ eorum actuali non potest esse diversus.

X. *Homines mutuo auxilio indigent, & in Societate facilius sibi præsidia parant, quibus indigent, quin & pericula imminentia junctis viribus facilius devitant, quam in solitudine.*

PROPOSITIO I.

Nullius rei essentia actualis sine jure existentiæ suæ concipi potest.

DEMONSTRATIO.

NAm in quâcunqué essentiâ vel naturâ existat, in illâ potiùs quàm in aliâ per Justitiam Dei existit, *juxta Postul. IV.* adeòque, ut per se patet, jure existit. Q. E. D.

SCHOLIUM.

ITaqué homines in naturis quidem suis summo jure existunt, sed quousquè in naturis suis jure vel injuriâ operentur, sequentes propositiones declarabunt. Interim valdè errant, qui ex hâc Propositione subitò inferunt, unumquemquè jure naturæ suæ operari, quicquid potest: Aut, unumquemqué jure naturæ suæ habere potestatem in actiones suas, non in alienas. Nam, ex sequentibus patebit, hominem, quatenùs ipse agit, multa injuriâ naturæ suæ operari, & tùm agenda omittere, tùm omittenda agere, quatenùs verò alii agunt, sæpè eorum actiones summo naturæ suæ jure aut cohibere, aut adjuvare.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [26] - 4
PUBLIC DOMAIN

PROPOSITIO II.

Nullius rei essentia actualis sine jure naturæ suæ concipi potest: Seu quodidem est, positâ quâcunqué naturâ aut essentiâ singulari, necesse est aliquid esse juris secundùm illam naturam, quâ ponitur.

DEMONSTRATIO.

NAm positâ quâcunqué naturâ singulari, necesse est illam poni per potentiam Dei, *juxta Postul. I.* & ex illâ se solâ operationes quasdam sequi per eandem potentiam, *juxta Postul. III.* quæ quidem potentia etiam tùm, quando res naturales constituit, sine jure concipi nequit, *juxta Postul. II.* adeòqué res naturales in quâcunqué naturâ per potentiam Dei existant & operentur, sine Jure naturæ suæ concipi nequeunt. Q. E. D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [27] - 5
PUBLIC DOMAIN

COROLLARIA.

I. *Tot ergò sunt species Juris naturalis, quot sunt species rerum in naturis suis agentium.*

II. *Qui in diversis naturis existunt, eorum jura naturalia nihil invicem commune habent.*

III. *Est aliquod Jus naturæ, quod humano generi proprium, & omnibus in illâ naturâ existentibus commune est.*

IV. *Potentia Dei illimitata est fundamentum omnis Juris naturalis, etiam ejus, quod humano generi proprium est.*

V. *Impotentia humana non potest ullius juris inter homines esse causa.*

VI. *Naturæ humanæ convenienter vivere, est secundùm Jus naturæ humanæ vivere.*

VII. *Jus naturæ humanæ est immutabile, quatenus nisi mutatâ humanâ naturâ, mutari nequit.*

SCHOLIUM I.

QUandoquidem nulla res sine Jure Naturæ suæ concipi possit, hinc apparet, quòd uniuscujusqué rei Jus naturale in convenientiâ & disconvenientiâ cum naturâ suâ quærendum sit, & quòd in hoc Jure dedu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [28] - 6
PUBLIC DOMAIN

deducendo unicé attendendum sit ad id, quò natura, se solâ, ducit, quatenùs à reliquis naturis distincta concipitur. Itaqué natura ipsa legem sui facit, & ultimum Juris sui argumentum est. Et hinc Axioma Juris naturalis est, ductum naturæ sequendum. Verùm ad hoc, ut naturam prout in se est, ejusqué ductus immediatos pernoscamus, requiritur accuratissima Physices de Deo & ortu rerum, & præcipué ipsius hominis cognitio. Ab his principiis pendet tota cognitio Juris, sicut penetralia à foribus. Si jam quæratur, quid sit Jus Naturæ, quod humano generi proprium est, & quomodo definiendum sit, respondeo, quòd Jus Naturæ humanæ juxta præcedentia nihil aliud sit, quàm *id, quod Hominem decet, quatenùs homo est*, sivè, *quod conforme est inter homines eâ solâ de causâ, quòd in naturâ humanâ per potentiam Dei existunt & ex illâ solâ operantur.* Et hoc Jus inposterum cum vulgô JUS NATURÆ in genere vocabo, non obstante quòd præter humanam plures aliæ naturæ existant, quæ jura sua naturalia habent.

SCHOLIUM II.

QUamvis autem dubium non sit, omnibus omninò hominibus persvasum esse, quod Jus naturæ ex convenientiâ cum naturâ derivandum sit (id quod ipsum vocabulum Juris naturæ statim indicat:) Nihilominùs fieri poterat, ut homines naturæ ignari, huic meditationi tanquàm oneri ultra vires gravi succumberent, nec invenirent exitum, unde ad certitudinem emergerent. Mirum ergó non est, illos ad varia posteà figmenta delapsos esse, quò magis sciendi cupiditate arderent. Nàm quó magis homines sciendi cupidi causas & principia rerum igno-

ignorant, & tamen plura percipiunt, eò majorem illos fingendi poteſtatem habere neceſſe eſt. Cœperunt igitur tanquàm in Naufragio decidua Philoſophiæ membra hinc inde arripere, & modò *voluntatem Dei*, modò *Socialitatem* (quâ voce propenſionem hominis ad Societatem intelligunt) modò aliquid aliud pro Principio eligere, & ex illo adornare concluſiones, quibus ſibi aliisqué quodammodo ſatisfacerent. Verùm utrinqué & ubiqué circa fores erratum eſt. Voluntatem Dei cauſam eſſe Juris Naturalis, ſicut & aliarum rerum, quis negare auſit? Voluntate Dei inſtituta & perfecta eſt humana natura, adeòquè & Jus naturæ, nec tantùm Voluntate Dei, ſed etiam Juſtitiâ Dei, Sapientiâ Dei, & reliquis attributis. Verùm hic non de Principio Juris conſtitutivo, ſed de cognoſcitivo quæſtio eſt, quod non poteſt eſſe tàm latum & tàm obſcurum. Quid autem obſcurius Voluntate Dei? Aut ſi res clara eſt Voluntas Dei, quid eâdem latius? Nonne verſamur in Regno Naturæ, in quo nihil non ex Decreto Dei decurrit, etiam injuria? Non juvant hæc remota cognitionem noſtram, ſed impediunt. Propius accedendum eſt, & rei cujusqué jus ex naturâ ſuâ æſtimandum eſt. Illi verò longè gravius errant cæteris, qui poſthabitâ divinæ naturæ contemplatione principia juris naturæ è trivio petunt, & ex unâ hominis qualitate, puta Socialitate, totum naturæ jus ſuſpendunt. Nàm hi videntur omne officium hominis officio civis terminare. Quòd ſi omne officium hominis officio civis terminatur, ſequitur, quòd ubiqué nullum ſit hominis naturale officium circa virtutem, circa Religionem, imò ne circa ſe ipſum quidem, extra Societatem, ſive citra reflexionem ad alios. Id, quod non ſolùm falſò, ſed etiam periculosè aſſeritur. Et ſic poſſem per

omnes

omnes eundo ſententias facilé oſtendere, quod ex ignoratione naturæ, divinæ & humanæ, omnes circa hoc argumentum errores profluxerint.

PROPOSITIO III.

Unusquisque ſummo naturæ ſuæ jure ea agit, quæ ex naturæ ſuæ neceſſitate ſequuntur: è contra, nullo naturae ſuae jure ea agit, quæ non ex naturæ ſuæ neceſſitate, ſed aliunde, à cauſarum externarum fortuitis impulſibus ſequuntur.

DEMONSTRATIO.

QUicquid ex naturæ humanæ neceſſitate ſequitur, per potentiam Dei inde ſequitur, *juxta Poſtul. III.* adeòque reſpectu ejusdem naturæ, juris naturalis eſt, *juxta Coroll. IV. Prop. præced.* Hoc unum eſt. Supponamus jam, hominem minimè ex naturæ ſuæ neceſſitate, ſed ex aliis cauſis operari, nempè externis,

quatenus ab illis tanquàm cymba à maris fluctibus huc illuc agitatur, trahitur, imò rapitur & determinatur ad aliquid agendum: Manifeſtum eſt, hominem per hypotheſin ex impotentiâ Mentis operari, *juxta Poſtul. V.* hoc eſt, manifeſtum eſt, *ex Coroll. V. Prop. præced.* hominem in hoc ſtatu nullo naturæ ſuæ jure operari. Q. E. D.

SCHOLIUM I.

QUemadmodùm ergò Sol ſummo naturæ ſuæ jure urit, calefacit, illuminat, movet, vivificat: Ita homines ſummo naturæ ſuæ jure ea exeqvuntur, quæ ex naturali illorum agendi potentiâ fluunt, & per illam ſolam adæquatè effici & intelligi poſſunt. Eorum verò ad quæ homines patiendo impelluntur, alia ratio eſt. Illa enim non poſſunt eſſe juris naturæ ob eam ſolam cauſam, quòd ex neceſſitate naturæ humanæ non ſeqvuntur, quòdque homines ea non ſoli, ſed à cauſis externis impulſi faciunt, & quòd hæc facientes non jus ſuum, ſed alienum ſeqvuntur. Nec obſtat, quòd potentiæ cauſarum externarum, quibus homines præter naturam impelluntur ad agendum, ſint etiam potentiæ Dei, *juxta Poſtul. I.* Unde videtur ſequi, quòd homines adhuc ſummo jure agant, quicquid poſſunt, quia ſive ſe ſolis ſive à cauſis externis adjuti operentur, ſemper ex Potentia Dei videntur agere, adeòque *per Poſtul. II.* jure quodam agere. Nàm ad hanc objectionem multa reſponderi poſſunt. Præprimis verò reſpondeo: Quòd hîc quæſtio ſit,

non

non de quocunque Jure naturali, quatenùs natura pro universo ſumitur, ex quô quicquid ſequitur Juris Univerſalis eſt: Sed de Jure naturali, quatenùs natura pro re ſingulari & ab universo diſtinctâ ſumitur. At ejusmodi Jus naturale non potentiâ universi, quâ Deus ubique potenter operatur, ſed uniuscujusque rei potentiâ propriâ & naturali definitur, *juxta Coroll. I. Prop. II.* adeòque nulla potentia extranea, quantumvis potentia Dei ſit, Jus naturale fundare poteſt. Cauſæ juris naturalis intùs ex naturâ & conſtitutione cujusque rei accerſendæ ſunt, non forinſecus ex conſtitutione Univerſi. Igitur non quicquid homines per quamvis Dei potentiam operantur, juris naturalis eſt, ſed hoc tantùm, quod ex ipſorum propriâ & naturali potentiâ (prout omnibus extraneis potentiis contradiſtinguitur) fluit, & per illam ſolam intelligi poteſt. Neque ex principiis noſtris contrarium extorqueri poteſt.

SCHOLIUM II.

QUandoquidem autem Potentia DEI à Sanctitate DEI [hoc eſt, à rectitudine intellectûs & voluntatis ejus] ſeparari nequeat [ut alibi demonſtramus]: hinc manifeſtum eſt, quòd ea, quæ ex potentiâ hominis naturali, ſe ſolâ fluunt, & per illam ſolam intelligi poſſunt, non ſolùm *licitè* fiant, quatenùs potentia Dei, quæ eſſentiam potentiæ humanæ conſtituit, abſolutè libera eſt, ſed etiam *rectè* fiant, quatenùs illa potentia à ſanctitate ſeparari nequit, ut poſtulavimus. Et hinc porrò intelligimus, quod vocabulum JURIS NATURÆ, non ſit duntaxat vocabulum *Libertatis*, ſive declaratio ejus, quod tantum modò licitum & illi-

 citum

citum est inter homines, quatenus socii sunt, sed etiam vocabulum *Honestatis*, sive declaratio ejus, quod in se & naturâ suâ bonum aut malum, honestum aut inhonestum, justum aut iniqvum, sanctum aut profanum est, citra ullum respectum ad societatem aut Legem externam. Et hoc est, quod plerique Juris naturalis Scriptores detorserunt, quorum alii cum maximo humani generis damno aut vitiis palàm patrocinati sunt, aut virtutes in Regno Dei naturali non admiserunt, nisi fortè larvatas, quæ officiis civilibus unicè circumscribuntur. Et horum principia non aliam ob causam falsa sunt, quàm quia ad conclusiones inhonestas, Deoque & Virtuti contumelioſas deducunt.

COROLLARIA.

I. Quicquid homines, qua sui juris, suæque potestatis sunt, per solius naturæ suæ motus & leges operantur, id summò naturæ suæ jure operantur; Et hoc eorum jus tantò majus vel minus erit, quò major vel minor est eorum agendi potentia.

II. Sicut homines nullo naturæ suæ jure à causis externis duci se patiuntur: Ita passiones ipsorum, quæ passiones animi vocantur, & quæcunque ex illis sequuntur actiones, aut cogitationes non sunt juris naturæ. Neque ex eo, quòd quis causis externis, utpote fortioribus, non potest resistere, jus agendi ullum à naturâ habere potest.

III. Si

III. *Si quis per Dei potentiam, quâ existit & operatur, à Dominio rerum externarum se liberare, & affectus suos aut debellare, aut omnino excludere valeat, id quidem summo naturæ suæ jure aget.*

PROPOSITIO IV.

Quicquid homines ex Potentiâ Mentis suae (quae est pars ipsorum potissima) sive intelligendo sive volendo operantur, id quatenus ejus sunt causae adaequatae, summo naturae suae jure operantur.

DEMONSTRATIO.

HAEc Propositio est consectarium Propositionis antecedentis, & præcipué *ejusd. Coroll. I.* Qui vero præterea nôrunt, quid sit mens humana, & quòd sit pars quædam æterni & infiniti intellectûs Dei, adeòque potentia verè divina, quamvis finita, illi de hâc pro-

propositione multò minùs dubitabunt. Cùm enim potentia Dei ex omni sui parte sit libera juxta *Postul. II.* & præterea omnis juris naturalis fundamentum *juxta Coroll. IV. Prop. II.* mens utique illa omnia liberè & summo naturæ suæ jure operabitur, qnæcunque ex potentiâ agendi ejus se solâ fluunt.

SCHOLIUM I.

UNa est mentis humanæ Potentia, quæ *Cogitatione* definitur, & jàm Intellectus, jàm Voluntas, jàm Recta Ratio, jàm Virtus vocatur. Quando Mens sibi conceptus & ideas formatde causis & rationibus rerum, tunc quatenùs illæ ideæ intra terminos puræ affirmationis consistunt, dicitur *Intelligere*: Quatenùs verò Mens in ideis suis sibi placet, atque éx illis operari conatur, eatenus dicitur *Velle*. Porrò, quandò conceptus mentis sunt adæquati, id est, tales, ut ex unâ, summâ, & primâ causâ, in serie & ordine, clarè & distinctè deducant reliquas, idque solâ mentis potentiâ, adeò ut his conceptibus aut imaginatio aut opinio nihil admisceat, tunc Intellectus mentis dicitur *Recta Ratio*, aut *Ratio* simpliciter, & Voluntas operandi secundùm istam Rationem vocatur *Virtus*, ut diximus *Postul. VI.* Unde jam satis patet, quodnam illud sit, quod mens jure operatur: Nimirùm quicquid cogitat aut agit, quatenùs rectâ ratione prædita est, aut eâdem ducitur, id summo naturæ suæ jure cogitat & agit. Et igitur Juris Naturalis ex rationes & virtute vivere, & quia recta

recta ratio DEum esse docet, DEum sequi & colere, se nosse, & reliqua.

SCHOLIUM II.

SUpereſt, ut oſtendam, quid Mens humana nullo naturæ ſuæ jure agat. Mens humana, quæ Cogitatione definitur, à cauſis externis multis modis afficitur, quæ ipſius agendi potentiam valdè minuunt. Afficitur enim Speciebus rerum ſenſualium, quæ ex ipsâ ejus potentiâ non oriuntur, ſed à cauſis externis, prout corpus ſive ſomniando ſive vigilando varios accipit motus. Et hiſce mens in cognitione cauſarum nonſolùm non juvatur, ſed etiam impeditur, quin & in varios errores impotenter trajicitur. Deinde eædem ſpecies forinſecùs acceptæ excitant in mente varios affectus, quæ mentis operationes non ſunt, ſed meræ paſſiones, quibus mens penè ad impotentiam redigitur. Atque hinc jam patet, quòd homines, quatenùs opinione, imaginatione, aut affectu ducuntur, non ſint earum rerum, quæ cogitant & agunt cauſæ adæquatæ, ſed potiùs cauſæ impotentes, adcòque nullo jure cauſæ, *per Coroll. V. Prop. II.* Confer. *Coroll. II. Prop. præced.*

SCHOLIUM III.

FAcillimè autem dijudicamus, utrum ex potentiâ mentis propriâ, an ex alienâ potentiâ operemur. Nam quando Mens ex ſe ſolâ operatur, tranquilla & ab omni affectu libera eſt. Quando verò ad operandum aliunde determinatur,

natur,

natur, ſtatim paſſiones & perturbationes intra ſe ſentit. Quid autem facilius, quam Statum Mentis æquum à tremulo, tempeſtatem ſerenam à nubilâ, perturbationem à tranquillitate, conſtantiam ab agitatione diſtinguere?

COROLLARIUM.

Illa Theologia, quæ ex potentiâ Rationis ſequitur, juris naturæ eſt, neque alia Religio Naturalis *dici debet, niſi hæc. Et hujus Theologiæ partes eſſe* Poſtulata I. II. III. IV. *nemo dubitare poteſt. Nam præterid, quod ex Potentiâ Rationis demonſtrari poſſunt, pendet ab his poſtulatis totius Juris Naturalis cognitio, adeò ut nemo ſalvo naturæ ſuæ jure ſibi alium Deum imaginari poſſit.*

PROPOSITIO V.

Homines, quatenus ſolâ naturâ ſuâ duce ducuntur, ſummo naturae ſuae jure agunt, quicquid poſſunt.

DE-

DEMONSTRATIO.

HAec propositio coincidit cum *Coroll. I. Prop. III.* & confirmatur ex eo, quòd nullus motus aut conatus, qui immediatè ex naturâ hominis oritur, & dux alicujus actionis est, possit ab essentiâ hominis actuali esse diversus, sed necessariò sit ipsa hominis natura, quâ existit, & operâtur, *juxta finem Postul. IX.* Nàm hinc sequitur, quòd omnis actio, quæ ex ejusmodi conatu proficiscitur, sit naturæ conveniens, uti patet, & consequenter legitima, *per Coroll. VI. Prop. II.*

SCHOLIUM I.

IN hoc sita est vera hominis Libertas & fœlicitas, ut operetur ductu naturæ suæ, non alienæ. Et quamvis natura universi longè fortior sit naturâ hominis, quia homo pars universi est, & totum quâvis parte potentius est, non ideò tamen juris naturalis est servire legibus alienis, *juxta Prop. III.* Quod autem Theologi dicunt, Naturam hominis corruptam esse, & ideò non sequendam, id rectè intelligendum est. Vires naturæ humanæ valdè diminutas esse, easque minimè exæquare potentiam universi, sed ab illo infinitè superari, certissimum est. Omnes enim nascimur ignari, & præterea affectibus obnoxii, quos difficile est semel admissos cohibere, difficillimum non admittere. Verùm hoc non obstante vires illæ utcunque diminutæ servant naturam virium, & nequaquàm per impotentiam, sed per potentiam tamdiu definiendæ

C sunt,

sunt, donec à causis externis vincantur & redigantur in servitutem. Quod ubi fit, fateor, nos eo in casu nullo naturæ jure naturam corruptam sequi. Meminisse autem debemus, eum nequaquàm solâ naturâ suâ duce agere, qui affectibus ducitur, *juxta Postul. VII.*

SCHOLIUM II.

QUemadmodùm autem homines naturâ suâ duce rectè agunt, quicquid possunt, ita hoc eorum jus naturale prorsus illimitatum est, & potentiæ eorum naturali semper commensuratur, *juxta Coroll. I. Prop. III.* Quin nec à Creatore nisi destructis & mutatis in aliam formam eorum Naturis limitari potest, *juxta Coroll. VII. Prop. II.* Quid ergo censendum sit de subtilitate eorum, qui Hobbesianis victi principiis Jus naturæ humanæ sic limitant, ut dicant, tamdiu jure naturali licitum esse, quod unusquisque à naturâ potest, donec non appareat prohibitio summi Legislatoris, qui facultatem agendi naturalem limitet (putant autem voluntatem hujus Legislatoris ex instinctibus naturalibus, & fine creationis, melius cognosci posse), in propatulo est. Primò enim Jus naturæ humanæ præter necessitatem limitant. Cùm enim voluntate Dei natura humana instituta sit, manifestum est, eâdem voluntate simul instituta esse omnia, quæ ex illâ, se solâ, sequuntur, & cum DEus Sanctus & immutabilis sit, nihil ex illâ naturâ, se solâ, sequi posse, quod DEus aliquando velit esse irritum. Deinde qui Jus naturæ sic limitant, videntur in Regno Dei naturali duas Dei voluntates, duas institutiones naturales, & consequenter duo Jura naturalia, secum invicem pugnantia, concipere, unum originarium, quô Deus licitum esse vult, quicquid homines à naturâ possunt, aut volunt, alterum limitativum, quo hanc licen-

licentiam naturalem poſt liminiò [quaſi actâ pœnitentiâ] ex aliis cauſis vult eſſe cohibitam. Quod quàm abſurdum ſit, omnes vident, qui Naturam Divinam aliquomodò contemplati ſunt. Denique ſententiam pravam praviùs corrigunt. Nam illud, quod Hobbeſio aſſeritur, homines id omne jure naturali agere, quod poſſunt & volunt, non ſervandum aut limitandum, ſed rejiciendum fuerat. Multa enim homines paſſionibus affecti volunt & poſſunt, quæ juris naturalis non ſunt, eam ſolam ob cauſam, quòd homines ea non ex neceſſitate naturæ ſuæ, ſed aliunde impulſi operantur, etiamſi prætereà nulla undique prohibitio aut *Limitatio Juris Naturalis* appareat, ut patet *ex Prop. III.* Videtur quidem reſtrictio illa, quam afferunt, ſimul medicinam afferre, tàm periculoſæ conceſſioni. Verùm tantum abeſt, ut iſtis limitationibus ſuis ab Hobbeſio recedant ut potiùs per Circulum ad eundem redire cogantur. Primò enim *fines* rerum creatarum plurimùm nobis ſunt ignoti. Et quamvis manifeſtatio Dei ſit finis ſummus & ſatis notus univerſæ creationis, ex illo tamen fine nihil, quod ad cognitionem Juris naturalis faciat, concludi poteſt. Deinde quid ſint *inſtinctus naturales*, & quomodò ab affectibus, [quos illi naturæ humanæ partes conſtitutivas eſſe credunt, adeòque perinde inſtinctus naturales eſſe, aſſerere coguntur] differant, aut internoſcantur, nondùm expoſuerunt. Sicque adhuc in ſummâ incertitudine verſantur, quousque DEus facultates ipſorum naturales limitaverit.

PROPOSITIO VI.

Conſervatio ſui eſt juris naturalis.

DEMONSTRATIO.

HOmines solâ naturâ suâ (non institutione aut exemplo) conantur se conservare, *juxta Post.* IX. ergò *per Prop. præced.* id conantur jure naturali.

COROLLARIA.

I. *Homo summo naturæ jure prospicit sibi de cibo, potu, tecto, vestimento, medicamento, & similibus utilitatibus.*

II. *Homo summo naturæ jure tuetur corpus suum, bellumque jure gerit adversus eum, sive similem sive dissimilem, qui conatur vitam aut præsidia vitæ sibi eripere, aut quocunque modo efficere, ne jure suo potiatur.*

III. *Homo summo naturæ jure generat Sobolem, eamque tanquâm partem suam vicissim conservat & tuetur.*

IV. *Homo nullo naturæ jure seipsum interficit, ne tunc quidem quando à causis externis victus conatur malum majus minori evitare, tùm quià alterius juris est, nempe* DEI, *cujus jure existit juxta* Demonst. Prop. I. *adeoque jus in se nullum habet, tùm quia jus non habenti timor sive impotentia non facit jus,* juxta Coroll. V. Prop. II. & Coroll. II. Prop. III.

SCHO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [42] - 20
PUBLIC DOMAIN

SCHOLIUM.

Hisce plura alia addi possent, quæ jus hominis naturale circa bonum & circa malum, circa seipsum & circa alios quoscunque, sive in eâdem sive in diversâ naturâ existentes, appositè magis declararent, & ex hisce consectariis plura alia deducerent, nisi hoc scripto nobis propositum esset, non tàm rivos, quàm fontes ipsos attingere. Ne quis autem Jus conservandi sui latiùs extendat, quam per naturam rei licet, obiter hîc annotamus, illam demùm Conservationem sui justam & æquam nobis censeri, ad quam homines solâ naturâ suâ duce impelluntur, ut est in *Demonstratione hujus.* Id quòd rarò admodùm contingit. Vulgò enim homines non tàm naturâ suâ duce, quam opinione & affectibus reguntur, seque tantum putant indigere, quantum concupiscunt. Unde postea fit, ut alter alterius conservationi plurimùm obsit, & dùm quisque conservare se præposterè studet, se aliosque destruat. Cujusmodi confusio non potest esse juris naturæ. Idcircò sequentia Lemmata proponimus.

LEMMA I.

Homini conservationis suæ studioso, nullo naturæ suæ jure licet judicare de bono vel malo ex opinione vel affectu, adeoque nec secundùm judicium illud agere.

Quòd homini summo naturæ jure liceat sectari bonum & declinare malum, manifesta est ex antecedentibus sequela, eò quòd conservatio sui sine hoc jure concipi nequeat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [43] - 21
PUBLIC DOMAIN

queat. Sed non licet homini de bono vel malo judicium ferre, aut ſecundùm judicium illud agere, quatenùs opinione aut affectu ducitur. Quicquid enim homines cogitant aut agunt, quatenùs affectu aliquo ſunt affecti, id *juxta Poſtul. VII.* non ex lege naturæ ſuæ, ſed ex lege paſſionis cogitant & agunt, h. e. *juxta Poſtul. V.* ex impotentiâ mentis cogitant & agunt, adeoque *per Coroll. V. Prop. II.* nullo naturæ jure cogitant & agunt. Eadem ratio eſt opinionis, quæ affectûs. Opinio enim eſt animi ſententia, non ex ipſo animo orta, ſed aliunde ingenerata, adeoque paſſio & affectio mentis.

LEMMA II.

AFfectus ſunt motus & conatus naturæ humanæ, conſervationem ſuam modo illegitimo quærentis, tàm in conſequendo bono, quàm in avertendo malo.

HOc Lemma eodem modo demonſtratur quo præcedens. Nam quando natura humana affectu aliquo affecta eſt, tunc mens agitatur à cauſis externis, *juxta Poſtul. VII.* adeoque ex impotentiâ agit, *juxta Poſtul. V.* & conſequenter nullo jure agit, *juxta Coroll. V. Prop. II.* Deinde affectus ſunt animi paſſiones *juxta Poſtul.* VII. adeoque *per Coroll.* II. *Prop.* III. nullo naturæ jure in mente exiſtunt & operantur. Quin etiam experientia docet, homines affectibus obnoxios finem conſervationis ſui non obtinere, *juxta Poſtul.* VIII. Videmus ergò, quòd jure naturæ nemo alteri iraſcatur, aut ex irâ vel odio injuriam vindicet, aut ex ambitione vel avaritiâ aliorum bonis & libertati inſidietur &c. & quòd illa conſervatio ſui, quæ juris naturæ eſt, non patrocinetur ſceleribus aut flagitiis, ut quidam putant.

LEM-

LEMMA III.

COnſervatio ſui, quæ cum alterius & præcipuè innocentis ac ſui ſimilis damno & interitu conjuncta eſt, non eſt legitima jure naturæ.

ILla conſervatio ſui, quæ cum alterius damno fit, irrationalis eſt, & ex affectu proficiſcitur, *juxta Poſtul.* VIII. Ergò *juxta Lemma præcedens* illegitima eſt. Unde porrò conſequitur, illam demùm Conſervationem ſui jure naturali legitimam eſſe, quâ homines jure ſuo ſe conſervandi absque alterius deſtructione potiuntur. Loquor autem de damno innocentis. Nam nocentis alia videtur eſſe ratio, *juxta Coroll.* II. *hujus.* Loquor etiam de damno erga ſimilem. Nam diſſimilium, & eorum, qui totâ naturâ à ſe invicem differunt, non poteſt eſſe idem jus naturæ tanquam inter ſimiles commune, *juxta Coroll.* II. *Prop.* II. Ac proinde ſi quis bovem mactet alimenti aut tegumenti cauſâ, violabit quidem Jus bovis, *juxta Coroll.* I. *ejusd. Prop.* ſed non ideò violabit jus naturale, quod humano generi proprium eſt, uti patet. Nihil ergò obſtat, quò minus brutis, aliisque rebus, in diverſâ naturâ exiſtentibus, ad conſervationem noſtram utamur, prout nobis convenit, modò ſe uſibus noſtris non immiſceat Luxuria aut Sævitia. Si quis tamen malit abſtinere eſu animalium, licebit illi ſummo jure herbis & oleribus eſſe contentum.

LEMMA IV.

COnſervatio ſui Legitima ſine Temperantiâ & Caſtimoniâ concipi nequit.

Docet

DOcet enim experientia, nimio cibi, potûs, venerisque uſu corpora humana affligi, eorumque vires exhauriri: è contra, temperantia & caſtimoniâ firmari. Erit ergò juris naturalis, temperanter & caſtè vivere. Quemadmodum autem Caſtimonia non eſt, ſemen planè non emittere, ſicut nec Temperantia, cibos planè non admittere: Ita ob diverſam corporum humanorum conſtitutionem difficile imò impoſſibile eſt, Temperantiæ aut caſtimoniæ certam menſuram conſtituere, ſed à nocentibus & juvantibus omnis hîc boni & mali, liciti & illiciti indicatio ſit.

LEMMA V.

VErum hominis utile à Virtute ſeparari nequit.

NAm quò magis homines ex ductu Rationis, hoc eſt, *juxta Poſtul.* VI. ex virtute vivunt, eò magis eos conſervari neceſſe eſt, *juxta Poſtul.* VIII. adeoque vera hominum utilitas à virtute ſeparari nequit. Præterea experientiâ conſtat, ſua ſingulis vitiis eſſe incommoda, iisque homines non juvari aut beari, ſed potius perturbari & deſtrui. Id quod alibi demonſtrare ſuſcipiemus.

PROPOSITIO VII.

Conſervatio proximi eſt juris naturalis.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

COnſervatio proximi ex potentiâ Rationis ſequitur, *juxta Poſtul. VIII.* Ergò *per Propoſ. IV.* eſt juris naturalis. Q. E. D.

SCHOLIUM.

QUantò ergò magis unusquisque quatenùs ratione ducitur, bonum illud, quod reliquis hominibus optat, cupiet liberis vel parentibus ſuis, quibus nihil poteſt eſſe proximius? Itaque & indulgentia Parentum in Liberos, & Charitas Liberorum in Parentes multò magis juris naturæ erunt, quàm communis illa benevolentia, quâ omnibus promiſcuè hominibus prodeſſe conamur. Poteſt etiam ex alio fonte deduci, quòd juvare liberos, aut juvare parentes, multò magis juris naturæ ſit. Videmus enim Parentes ſolâ naturâ duce diligere partus ſuos tanquàm partes ſuas, & partum ſolâ naturâ duce, non lege aut inſtitutione, ſequi ac diligere parentem ſuum, niſi aliæ adſint cauſæ, quæ illos aliter determinent. Adeſt igitur inſtinctus naturalis ſe mutuò juvandi, adeoque & jus agendi ſecundùm illum inſtinctum, *juxta Prop. V.* Et quia inſtinctus naturales ſolent eſſe fortiores ratiociniis, & potentiam mentis in agendo magis augere, hinc apparet *ex Coroll.* I. *Prop.* III. quòd Parentum & Liberorum mutua auxilia majori naturæ jure exerceantur, quàm quævis alia, quæ ſolo rationis ductu invicem præſtamus.

D PRO-

PROPOSITIO VIII.

Transire ad majorem perfectionem, & juvare alios homines in hoc transitu, juris naturalis est.

DEMONSTRATIO.

HOmines à naturâ conantur transire ad perfectiectionem majorem eâ, in quâ nati sunt, *juxta Postul. IX.* & quatenùs Ratione ducuntur, conantur alios quoque eò transeuntes juvare, *juxta Postul. VIII.* Ergò *juxta Prop. IV. & V.* transitus hominum ad majorem perfectionem eorumque mutua in hoc transitu auxilia, Juris naturæ sunt. Q. E. D.

SCHOLIUM I.

IN quanta imperfectione, h. e. in quanta corporis animique impotentia, rerumque omnium ignorantia, inopia & indigentia, unusquisque nostrûm nascatur, experientia satis constat. Eadem experientia constat, hominem à nativitate semper conari, ut ad conditionem majorem & meliorem ea, in qua ortus est, transitum faciat, h. e. ut vires corporis & animi semper majores acquirat, eundo ab infantia ad pueritiam, à pueritia ad adolescentiam, ab adolescentia ad reliqua: nec hoc tantùm, sed & eundo à necessariis ad utilia, ab utilibus ad jucunda, à jucundis semper ad majora, eaque

eaque vel omnia, vel plurima, vel maxima. Hinc videmus homines ante omnia ſibi proſpicere de cibo, potu, tecto, deinde de honeſtiori veſtimento & domicilio, nec non de cibo & potu lautiori, poſtea de Domo & Familia, aliisque voluptatibus & oblectamentis. Et hunc progreſſum dixi aliquomodo eſſe Juris naturæ. Verùm ne inſana multitudo ad hanc Orationem meam adhinniat, tanquam Magiſtrum Cupiditatis ſuæ reperierit, dico, illum demùm tranſitum Juris naturalis eſſe, qui ſola natura duce fit, ut eſt *in Demonſtratione hujus.* Affectus autem non eſſe partes naturæ humanæ, ſed ejusdem appendices: & eos, qui ex affectibus aliquid agunt, non ex ſolis naturæ humanæ legibus, ſed præterea ex aliis legibus operari, *juxta Poſtul. VII.* Quin illos nullo naturæ ſuæ jure judicare quo tranſeundum ſit, adeoque nec jure tranſire quo judicatum eſt, *juxta Demonſt. Lemmatis I. Prop. VI.* Porro nullas voluptates jure naturali licitas eſſe, niſi honeſtas, *juxta Schol.* II. *Prop.* III. nec ullum honeſtæ voluptatis uſum ultrà parcum & modicum, *juxta Lemma* IV. *Prop.* VI. denique neminem naturæ ſuæ jure tendere ad majorem perfectionem cum detrimento alterius, *juxta Lemma* III. *ejusd. Prop. & Prop. præced.* Proinde omnes illi, qui ſub prætextu tranſitûs naturalis ad majorem perfectionem, cum maximo multorum damno tranſeunt ad Dominatum, Divitias, & alia, quibus non recta Ratio, ſed ambitio, avarita, & luxuria, adeoque opinio & affectus nomen perfectionis impoſuerunt, quique in voluptatibus ſe volutant aut inhoneſtis, aut honeſtis ad nauſeam usque & impotentiam oblectantur, nullo naturæ ſuæ jure id faciunt, & revera non ad majorem, ſed minorem naturæ ſuæ perfectionem tendunt. Id quod ex doctrina affectuum facilè demonſtrari poſſet.

SCHOLIUM II.

ET hinc porro patet, quid circa auxilia Juris Naturæ sit, & quousque officium hominis se hîc extendat. Nimirum in rebus honestis aliorum agendi potentias honestè juvamus, minimè vero in flagitiis. Nam quo magis unusquisque ratione ducitur, h. e. *juxta Prop.* IV. *& Schol.* I. *ejusd. Prop.* quo unusquisque juris sui naturalis observantior est, eo magis conatur officere, ut & alii ratione ducantur, vitamque sapienter instituant, *juxta Postul.* VIII. ac proinde pravis hominum cupiditatibus [quibus vitæ rationali & perfectæ nihil potest esse adversius] nulla auxilia subministrabit, quin potius summo naturæ jure conabitur efficere, ne tantum consequantur, quantum concupiscunt. Quare non est, cur ganeones aut Sycophantæ, qui alienæ libidini aut ambitioni auxilia sua vendunt, ad hanc Propositionem nostram applaudant, qui nullum hominis naturale officium, nisi honestum agnoscimus.

SCHOLIUM III.

NUllus dubito, fore multos, qui non aliam ob causam opiniones malè cohærentes nobis imputabunt, quam quia distinguere non possunt, quid Mens humana ex potentiâ suâ, se solâ, quid ex impotentiâ operetur. Et horum in gratiam breviter hîc exponemus, quid sit *Cupiditas*, *Lætitia*, *Tristitia*, & quo jure in mente existant & non existant, operentur & non operentur. Conatus transeundi ad majorem perfectionem vocatur *Cupiditas*. Verùm hic conatus non semper & necessariò est affectio & passio mentis, sed aliquando est appetitus mentis naturalis & rationalis, ut est *in Demonstratione hujus*. Quatenùs ergò talis est, necessa-

riò

riò eſt vel inſtinctus mentis naturalis, cujus cauſæ nullæ dari poſſunt, niſi quòd per illum mens à naturâ determinata concipitur, ad aliquid agendum, vel ipſa mentis virtus, prout eſt definita *Poſtul. VI.* Quicquid verò ſit, neceſſe eſt illum eſſe potentiam mentis propriam & nativam, & conſequenter ſummo naturæ jure in mente exiſtere, *juxta Prop. I.* & operari, *juxta Prop. III. & IV.* Verùm quando hic conatus affectus aut paſſio mentis eſt, alterius longè naturæ eſt. Tunc enim eſt appetitus mentis præternaturalis, menti non ex ſe ſolâ, ſed præterea ex aliis cauſis ingeneratus; Iisque vel externis, quomodo ex offenſa generatur ira, ex viſu & contactu concupiſcentia, ex morum diverſitate odium: vel internis, ſed nullo jure in mente exiſtentibus & operantibus. Cujusmodi ſunt omnes paſſiones Lætitiæ & Triſtitiæ, quæ in mente præexiſtunt, mentemque ad hoc vel illud cupiendum determinant. Sic mens à Superbiâ (quæ eſt ſpecies Lætitiæ per modum paſſionis in mente exiſtentis) determinatur ad ambiendum Dominatum, & alia infinita. E contrà ex Abjectione (quæ eſt ſpecies Triſtitiæ itidem per modum paſſionis in mente exiſtentis) mens ad alias cupiditates determinatur. Quomodo autem cognoſcamus, utrum ex potentiâ mentis propriâ, an ex impotentiâ lætemur aut contriſtemur, aperiendum nunc eſt. Quando homines ad majorem perfectionem tranſeunt, tunc quatenùs iſtius tranſitûs gratam perceptionem habent, dicimus illos *lætari:* ex adverſo dicimus illos *contriſtari* aut dolere, quando appetitus ſuos naturales coerceri ſentiunt, quò minus ad majorem perfectionem tranſire poſſint. Hæc Lætitia & Triſtitia duobus modis exiſtere poſſunt in hominibus, vel tanquam actiones, vel tanquam paſſiones mentis. Quando Mens Lætitiæ aut Triſtitiæ ſuæ cauſa adæquata eſt [quod fit,

quando mens ex consideratione potentiæ aut impotentiæ suæ sibi ipsa placet aut displicet], tunc Lætitia & Tristitia mentis, sunt actiones ejus mentales, adeoque licitæ jure naturæ, *juxta Prop. IV.* At quando Mens Lætitiæ aut Tristitiæ suæ causa tantùm partialis est, h. e. quando Lætitia & Tristitia mentis præter ipsam mentem adhuc alias & plures causas habent, sive extrinsecas [sicut Adulatio Lætitiæ, vituperium Tristitiæ causa est], vel intrinsecas, sed nullo naturæ jure in mente existentes, (cujusmodi sunt variæ mentis cupiditates, è quarum prospero vel improspero successu variæ Lætitiæ & Tristitiæ species in mente oriuntur): Tunc Lætitia & Tristitia mentis, non sunt actiones mentis, sed passiones, adeoque *per Coroll. II. Prop. III.* jure naturali illicitæ. Verùm quia hæc difficilia sunt, ad consectaria properamus, atque ex innumeris, quæ deduci poterant, hæc pauca decerpimus.

COROLLARIA.

I. *Homines summo naturæ jure tendunt usque ad summum bonum & summam fælicitatem. Verùm judicium de summo bono & summâ fælicitate jure naturali non est penes affectus*, juxta Demonst. Lemm. I. Prop. VI.

II. *Homines summo naturæ jure conantur, ut tùm ipsi tùm alii habeant mentem sanam in corpore sano, ut se aliosq; ab errore & ignorantiâ, a dolore & Tristitiâ liberent: Idq; majori naturæ ju-*

re

re conantur in liberis ſuis, quàm in aliis hominibus, juxta finem Scholii Prop. præced.

III. *Et in univerſum id unusquisque ſummo naturæ jure agit, quo corporis aut animi ejus potentia augetur, & omittit, quò minuitur: Contrarium verò, quo corporis aut animi ejus potentia minuitur, aut roboratur, nullo jure agit aut omittit.*

IV. *Quapropter etiam ſummo Naturæ jure removemus id omne, quod tranſitum ad majorem perfectionem præpedire poteſt, & è contra agimus, quod eundem juvare poteſt. Et hinc populi quidam Africani, cùm non poſſent generare aut ampliare familiam integro & clauſo præputio, id quidem ſummo jure amputabant.*

V. *Quicquid ad Tranquillitatem & indolentiam animi conducit, ſummo naturæ jure agimus: & omittimus, quicquid eidem officit. Et hinc ſummo naturæ iure devitamus occaſiones, quibus mens noſtra perturbari ſolet. Eodem jure alios homines, malè tranquillos, & quicquid in nobis nondum ſatis percuratum eſt, magis exulcerantes, à converſatione noſtrâ præcidimus. Quin & beneficia eorum, quatenùs Li-*

bertati

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [53] - 31
PUBLIC DOMAIN

bertati noſtræ inſidiantur, eodem jure rectè repudiamus. Et in univerſum ſummo naturæ jure conamur nos liberare ab affectibus, animum ſive nimis efferentibus, ſive nimis dejicientibus, ſive in longinqua & difficilia protrahentibus, tùm & à cauſis externis, affectus more ſolito excitantibus.

VI. Homines naturæ ſuæ jure non ſolùm neceſſaria & utilia, ſed etiam jucunda ſectantur, e. g. Muſicam, & quicquid ſenſus illorum ſuaviter molliterque ferit, aut etiam dolorem & Triſtitiam eorum cum honeſtate levare poteſt. Quin etiam alios quâvis honeſtâ delectatione afficere, hominis officium eſt.

VII. Philoſophia eſt juris naturalis, tùm quia ex potentiâ Rationis ſequitur, tùm quia omnes à naturâ trahuntur ad magna & inuſitata noſcendum, tùm quia tranſitum ad majorem perfectionem haud parùm juvat. Et hujus Philoſophiæ traditio & propagatio etiam juris naturæ eſt.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [54] - 32
PUBLIC DOMAIN

PROPOSITIO IX.

Homines ſummo naturæ ſuæ Jure neceſſitudinem quærendi utile ſuum, cum aliis hominibus jungunt.

DEMONSTRATIO.

IN Societate quâcunque, ubi duo vel plures, vires ſuas invicem jungunt, ad producendam mutuam & communem utilitatem & ſecuritatem, major eſt perfectio, quàm in ſolitudine, *juxta Poſtul. X.* adeòque tranſitus hominum ad ſocietatem eſt juris naturâlis, *juxta Prop. præced.*

ALIA DEMONSTRATIO.

HOminem eſſe animal ſociale, naturaliterque tendere ad conjunctionem cum aliis hominibus, niſi aliæ adſint cauſæ, quæ illum aliter determinent, experientiâ conſtat. Eâdem experientiâ conſtat, unumquemq; citiùs naſci hominem quàm miſanthropum, & ſolâ naturâ ſuâ duce trahi ad benevolentiam ante, quàm ad fugam & odium humani generis, quod ex contemplatione vitiorum ejus demùm oritur. Quod autem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [55] - 33
PUBLIC DOMAIN

solâ naturâ nostrâ duce fit, id legitimum esse vidimus, *Prop. V.*

COROLLARIA.

Atque hinc jam patet,

I. *Quòd non solùm res familiaris & domestica, quæ* conjugio & amicitiâ *absolvitur, sed etiam* res publica *sit juris naturæ.*

II. *Quòd* Civitas *nihil aliud sit, quàm multitudo hominum, maioris utilitatis & securitatis gratiâ potentias agendi suas naturales invicem iungentium ad producendam mutuam & communem felicitatem.*

SCHOLIUM I.

JUs naturæ, quod humano generi proprium est, quo unusquisque perfectam utilitatem quærit, *juxta Prop. VIII.* vix concipi potest, nisi ubi homines jura habent communia, ubi communibus viribus se juvant & tuentur, ubi eandem glebam inhabitant, & ubi ex communi omnium sententiâ vivitur. Nam quo plures invicem sic conveniunt, & quò plures necessitudines sic jungunt, eò magis singulorum utilitati & securitati consulunt, uti patet. Dubium ergò non est, quin status hominum naturalis & optimus sit socialis, conjugalis, & civicus, non solitarius.

SCHO-

SCHOLIUM II.

QUamvis autem bruta homini sint valdè utilia, quatenùs illis multis modis servari & juvari potest homo, illi tamen qui relicto humano genere brutorum amicitias, conjugia, & societates colunt, nullo jure naturali id faciunt. Primò enim transeunt ad minorem perfectionem, quod est contra jus naturæ, *juxta Prop. VIII.* Nulla enim bestia est, quæ homini tàm aptè quadret, tùm ad producendam mutuam utilitatem & auxilium, tùm ad conciliandam mutuam delectationem & oblectamentum, quàm homo homini. Deinde junguntur dissimilibus, hoc est, *juxta Coroll. II. Prop. II.* iis, quibus nec amicitia, nec conjugium, nec conjunctio ulla, jure naturali debetur. Denique quatenùs brutorum consuetudine delectantur, id quidem faciunt, sive ex feritate, quia ferinos mores amant, eosque libenter imitantur, sive ex libidine, sive ex Misanthropiâ. Sed hæc principia actionum non sunt juris naturæ, *juxta Coroll. II. Prop. III.* Quatenùs verò iisdem cohabitant, non solùm in se suumque jus naturale, sed etiam in DEUM peccant. Videntur enim libidine suâ nihil aliud agere, quàm ut species rerum (& cum illis jura rerum, *juxta Coroll.* I. *Prop.* II.) confundant, & monstra producant, quod est peccatum in Deum, *juxta Postul.* IV.

SCHOLIUM III.

QUemadmodùm autem conjunctio hominis cum bestiâ cum jure naturali pugnat, ut *super. Schol.* ostensum: ita non quævis hominis cum homine conjunctio promiscuè juris naturæ est. Nàm *Conjugium*, *Amicitia*, *Civitas*, quatenùs jure naturæ existunt, sunt res bonæ, & societas honesta, & populus honestus, qui nec metu, nec libidine, nec

ambitione, nec avaritiâ, nec quovis alio affectu, sed solâ virtute & ratione ducitur. In ejusmodi societate unusquisque sponte & naturâ solâ duce jus naturæ suæ colit, & alterius jus quovis modo adjuvat. Verùm de Conjugio, Amicitiâ, Civitate, in quâ homines non potentias agendi suas, sed cupiditates, spes metusque suos, hoc est, impotentias suas cum aliis hominibus æquè impotentibus jungunt, aliter statuendum est, nimirum quòd ejusmodi conjugium, amicitia, Civitas non sit juris naturæ, *juxta Coroll.* II. *Prop.* III. & quòd plus semper detrimenti quàm emolumenti secum ferat, *juxta Postul. VIII.* Si quis autem scire aveat, quousque hominum societates jure naturæ existant, & operentur, hoc illum superiores Propositiones, cum Corollariis, Scholiis, & Lemmatibus suis, ritè inspectæ, clarissimè edocebunt. Eadem enim Societatis, quæ unius hominis ratio est, & quod huic jure naturæ non licet agere se solo, nec conjuncto cum alio licet. Et sic universè de jure Civitatis, tanquàm de jure unius homines pronunciandum est.

SCHOLIUM IV.

SUperest, ut ostendam, quid liceat Civitati jure civili, quatenùs injuriâ naturæ existit. Dico, quòd ejusmodi Civitati tantum liceat jure civili, quantum eidem conducit. Nam quatenùs existit, sine jure naturæ suæ concipi nequit, *juxta Prop. II.* & quia natura ejus supponitur consistere, in multitudine impotentium, majoris utilitatis causâ affectus suos invicem jungentium, hinc manifestum est, quòd, quicquid ejusmodi Civitas ex affectibus suis sibi bonum aut malum esse judicat, id omne jure naturæ suæ, h. e. jure civili rectè agat, aut omittat. Itaque fidem servabit, donec utilitatem

tatem, & piraticam exercebit, si conservari aliter non possit, bellumque geret cum vicinis quamvis innoxiis, si transire ad majorem perfectionem, nisi destructis illis, non possit; idque aget congruenter naturæ suæ, adeòque jure civili, ut patet *ex Prop. II.* Nec obstat, quòd hæc & talia jure naturæ sint illicita, *juxta Lemma* III. *Prop.* VI. Aliud enim est jus naturæ agentis, aliud patientis. Homo valetudinem suam jure naturali curat, *juxta Coroll. I. Prop. VI.* sed quatenùs æger est, non tenetur esse sano corpore, sed jure naturæ suæ ægrotantis id omne agit patiturque, quod ex naturâ morbi sui fluit. Similiter pronunciandum est de Civitate injustâ, quòd illi jure civili, h. e. jure naturæ suæ, quatenùs est societas malignantium, multa liceant, quæ interim jure naturæ humanæ sunt prohibita.

EPILOGUS.

ET hisce me omnes *Juris Naturalis* fontes breviter ostendisse puto. Perveni enim meditando usque ad CIVITATEM, & novæ disciplinæ fundamenta posui, quæ vocatur POLITICA. Et hujus demum officium est, præter alia multa Leges ferre, *Juris civilis* ex Jure Naturæ aperire fontes, & substernere fundamenta Jurisconsultis Legumque cultoribus, unde incipiant, & nostris rebus benè consulere pergant.

Si quis iàm Jus Naturæ velit redigere in Leges & Tabulas propter ignaros, maxima præsidia in antece-

dentibus inveniet. Deum & animum cuique ſuum eſſe colendum, aperiet *Scholium I. Prop. IV.* Parentes & Liberos eſſe diligendos & juvandos, docebit *Schol. Propoſitionis VII.* Amice cum omnibus converſandum, habitâ lætitiæ & triſtitiæ cuiuſvis ratione, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum, de omnibus benè merendum, uniuscujuſque jus promovendum, & infinita alia indicabit *Schol. ejusd. Prop.* nec non *Prop. VIII.* Modum in rebus ſeruandum, temperanter vivendum & ne quid nimis, ſubminiſtrabit *Lemma IV. Propoſitionis VI.* Et ſi eosdem fontes rectè inſpexeris, præbebunt tibi conſpicienda tanquàm in ſpeculo, omnia veterum Sapientum præcepta, quæ virtutem & vitam benè beatèque tranſigendam concernunt, & omnia denique humanitatis & ſocialitatis officia.

Ipſum verò Jus naturâle, ſive in Leges redactum fuerit à ſapientibus, ſive intra naturam ſapientum conſiſtat, ſemper habet vim Legis ex intentione creatoris. Intelligo autem per vim Legis nihil aliud niſi vim obligandi. Sed notandum, quòd hæc vis obligandi, non apud omnes eadem, ſed apud diverſos diverſa ſit, alia apud Sapientes, alia apud ignaros. Quod ne quis ſiniſtrè accipiat, ſententiam meam de obligatione Juris Naturalis fuſiùs explicabo.

Dico,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [60] - 38
PUBLIC DOMAIN

Dico, Deum in Regno ſuo Naturali homines duobus modis ad faciendum voluntatem ſuam obligare: Alios quidem *internè*, quatenùs mentibus illorum non ſolùm juris ſui cognitionem exactam, ſed etiam præſtandi voluntatem, & potentiam ſufficientem indidit. Hoc modo ſolos Sapientes obligat, qui Deum præeuntem ſponte ac lubenter ſequuntur. Et dùm ſolis naturæ ſuæ legibus hoc agunt, hinc apparet, illos officium ſuum agere, ex obligatione internâ, ſive tali, quæ eſſentiam eorum conſtituit. Reliqui obligantur à Deo *externè* tantùm, quatenùs Deus Jus naturæ, prout eſt in mentibus Sapientum, à Ducibus, Philoſophis, aut Prophetis, curavit referri in tabulas, totique mundo promulgari. Hoc modo obligantur ſoli ignari, qui cum ſint Dei & ſui & rerum omnium æternâ quâdam neceſſitate ignari, nihil ſciunt nec agunt, niſi quod à cauſis externis docentur & patiuntur. Et hos certum eſt, non obligari à Deo internè, ſaltim non adæquatè, quia ſi obligatio illa interna & adæquata eſſet, potentior eſſet omnibus ligamentis externis, & jus naturæ ſervaret. Quod minimè fit. Interim pauciſſimos eſſe, quos Deus interiore modo & adæquato obligat, experientiâ ſatis manifeſtum eſt. Vulgò enim homines nihil minùs, quàm Jus naturæ ſuæ ſequuntur. Et quamvis tanta ſit Juris naturalis præſtantia, ut homines

mines ad ſummam usque Libertatem & Felicitatem perducere poſſet, ſi jure ſuo uterentur; homines tamen vulgò plus ſemper ſervitutem & perturbationem amant, & ſequi Leges Univerſi, ac jura aliena, quàm ſua, malunt.

Patet interim ex præſenti tractatione, quòd nemo de Jure naturæ verè judicare poſſit, niſi cognitâ prius ratione Naturæ, tam Divinæ, quam Humanæ, & naturæ etiam Univerſi, & utrum natura hominis cum univerſâ conveniat, nec ne. Quæ omnia cùm ſint Philoſophicæ conſiderationis (Philoſophia enim, uti à veteribus definitum, eſt rerum divinarum & humanarum, cauſarumque quibus hæ res continentur, cognitio): Hinc apparet, illos Jureconſultos, qui Philoſophi non ſunt, ad Tractationem Juris Naturalis eſſe inidoneos, adeoque hæc Sacramenta Naturæ nullo naturæ ſuæ jure attingere, *juxta Coroll. V. Prop. II.*

Nolo tamen ſuis privare Laudibus Veteres Jureconſultos, qui uti Stoicæ Philoſophiæ plurimùm addicti erant, ita boni & mali, honeſti & inhoneſti Principia non poterant ignorare. Quid autem in noſtris ſcriptoribus [qui Philoſophiâ aut invitâ, aut non ſalutatâ, ad Tractationem Juris Naturalis ſubitò provolant, & novi-

novitia principia tanquam Deos de machinâ ostendunt) Philosopho aut Philosophiâ magnopere dignum sit, non invenio. Nec mirum, quia plurimi ita sunt affecti, ut Philosopi videri nolint. Et horum maxima industria est, demonstrare, Juris naturalis Explicationem non Philosophiæ sed Jurisprudentiæ partem esse, ne si Philosophiæ pars esset, præsidiis ejus indigerent, quibus illi plane sunt destituti. Deinde etiam hoc agunt, ut truncatâ semel Philosophiâ, ipsos Philosophos à contemplatione Juris naturalis longè arceant. Quodsi forte contingat, aliquem eorum Tractationem hanc suscipere, illum longe gravius, quam falcem in alienâ messe ferunt. Denique naturam sine naturâ, Jus sine potentiâ, officium hominis sine homine explicare nituntur. Quod quàm absurdum sit, omnes vident. Unde mirum non est, tot inter illos esse diversa opinantium conflictus, quot possunt esse species lineæ curvæ à rectâ declinantis.

Nec obstat, quòd Viri quidam Docti, & citra controversiam Philosophi, Tractationem Juris Naturalis à nostrâ longe diversam susceperint. Unde sequi videtur, quod in ipsâ Philosophiâ, quæ tantas demonstrationes promittit, nulla certitudo sit. Nam ad hoc multa respondere possum. Præprimis verò respondeo, causam, quare omnibus Philosophis à me dissentientibus circa Jus naturale aliter visum est, non esse errorem

in Philoſophiâ, ſed diverſitatem reſpectus, quia non eodem modo humanam naturam conſideravimus. Non poterant illi pro Eruditione ſuâ ignorare (neque etiam ignorabant) quam diſtincta ſit hominis ab affectibus ſuis natura, & quam mere accidentaria ſint, quæ hominem agitant & perturbant: Sed ſui tantum officii eſſe putâ unt, in Tractatione Juris naturalis hominem ſpectare, non prout in ſe eſt, ſed prout hîc & nunc exiſtit, id eſt, prout pars Univerſi eſt, & à reliquis univerſi partibus infinitis modis circumagitur. Id quod ego officii mei eſſe minime putavi. Itaque reſpexerunt hominem ſicut nos ſuprà Civitatem, *Schol. IV. Prop. ult.* & parturiverunt concluſiones, noſtris valde diſſimiles, cujusmodi ſunt, quod unusquisque à naturâ tantum habeat Juris, quantum habet agendi poteſtatis, & quod jure naturæ nihil prohibitum cenſeri queat, niſi quod nemo cupit, & nemo poteſt, & ſimilia, quæ ex ipſorum conſiderandi modo neceſſariò fluunt. Quod ſi eodem modo humanam naturam reſpexiſſemus, quo illi, idem forſan placuiſſet nobis, quod illis: quemadmodum viciſſim illi ſine dubio ad noſtras Concluſiones delapſi eſſent, ſi eundem conſiderandi modum probâſſent. Verùm uter conſiderandi modus in præſenti materiâ à Philoſophis rectius adhibeatur, meâ quidem ſententiâ quivis dijudicare poteſt, qui conſideraverit, *omnem rem tùm de-*

inum

mum vere & recte considerari, quando prout in se est, consideratur. Poterant illi spectare hominem tanquam partem universi, si describere illis Origines rerum humanarum in Genere (non attendendo ad id, quod juris est) propositum fuisset: sed in quæstione Juris, quod humanæ naturæ proprium est, non poterant illam naturam cum reliquis confundere, aut eandem, ut junctam cum aliâ, considerare. Quemadmodum enim e. g. Geographo, Sueviæ notitiam tradituro, non attendendum est ad præsentem istius telluris faciem, quam ex bello Civili, & Gallorum Bojorumque vastationibus accepit [ejusmodi enim descriptio historiographi potius quam Geographi esse videtur]: Ita Jus naturale describturo, non ad causas externas, earumque in mentem irruptiones, non ad hostes mentis intestinos, per sensuum foramina illapsos, adeoque non ad affectus & Cupiditates mentis, sed ad mentem ipsam & solam, ejusque agendi potentiam naturalem, minimèque adventitiam, attendendum est.

Interim multos esse, qui affectus à causis externis proficisci negant, non ignoro, sed philosophos esse nego. Nam si Philosophi essent, ex contemplatione naturæ perspicerent, affectus in Mente humanâ, sed non de Mente humanâ esse, neque in illa nisi præternaturaliter per influxum cau-

sarum

ſarum externarum exiſtere & operari. Et horum error non ut præcedentium in nudo conſiderandi modo, ſed in ipſo conceptu verſatur, eoque periculoſior eſt. Nam ſi affectus ſunt partes naturæ humanæ, quæ ad illam ita ſpectant, ſicut proprietates ad eſſentiam, ſequitur, quod affectus ſint animi humani actiones, non paſſiones, & hinc, quod affectus ſint motus & inſtinctus naturales naturæ humanæ conſervationem ſuam quærentis, & ſic porrò, quod ex affectibus vivere, ſit naturæ humanæ congruenter vivere, & conſequenter, quod unusquisque ſummo naturæ ſuæ jure ſequatur, quo illum affectus ſuus trahit, *juxta Coroll. VI. Prop. II.* quod officium hominis ſit affectus ſuos alere & augere, *juxta Coroll. III. Prop. VIII.* & quod illi, qui affectus ſuos moderando aut evellendo minuunt, contra naturam delinquant, *juxta idem Coroll. ejusd. Prop.* Quibus poſitis totam Philoſophiam & Jurisprudentiam naturalem, & omnem denique boni & honeſti notitiam ac diſciplinam everti neceſſe eſt. Virtus certè aut nulla, aut fucata erit. Nam ſi ex dictamine Affectuum vivere, eosque quam minimè moderari nedum excludere, Juris naturæ eſt, virtus in Regno Dei naturali nulla eſt. Aut ſi aliqua eſt, erit ex duobus vel pluribus affectibus ſe invicem coercentibus compoſita, adeoque fucata & larvata. Virtus autem fucata penè nulla eſt, & inter vitia ſplendida rectè numeratur. Detrahe illi ſplendorem & gloriam, quam habet apud vulgus, & nil niſi putidum ſcelaton remanebit. Verùm hæc & talia à Jurisprudentiâ naturali non tam præcipiuntur, quàm ſupponuntur, ut patet *ex Poſtul. VI. & VII.*

TANTUM.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 107, [66] - 42
PUBLIC DOMAIN

XLI 113.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [67] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [68] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [69] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 408

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [70] - -


PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [71] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [72] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 107, [73] - -